

PUNCTUM XV.

De voto, & juramento poenali.

106. Votum poenale dicitur illud, quod quis emittit ad se retrahendum a culpa, seu proficiendum in virtute timore poenae sibi impositae, ut promittens jejunare, si luserit: vel portare cilicium, si actus fidei, spei, & caritatis qualibet hora diei non elicerit. Potest esse simplex, & duplex. Simplex est, quando solum vovetur poena subeunda, ut in exemplis appositis. Duplex est, quando vovetur omisio culpae, aut actus virtutis eliciendus, deinde poena pro culpa subeunda: ut promittens non ludere, si autem ludat, vovet in poenam jejunare. In simplici non tenetur ex voto ad non ludendum, sed ad poenam si luserit; in duplici tenetur ex voto ad non ludendum, & etiam ad poenam si luserit.

107. Inq. 1. An violans votum poenale ex oblivione teneatur ad poenam? R. negative: quia ubi non est culpa, nulla debet esse poena; in casu autemposito non est culpa, quia violatio voti est involuntaria. Quod verum tenet, etiamsi voti memor sit, immemor autem poenae, quando ignorantia est invincibilis; secus si vincibilis, quia ignorantia vincibilis, quando de culpa agitur, equiparatur scientiae.

108. Inq. 2. An in voto duplici, ob tenta dispensatione primi, liber sis a secundo? R. affirm. quia, ablato principali, corrumpitur accessorium. Unde in exemplo num. precedenti appositio dispensatus ad ludendum potest ludere absque ulla incursionem poenae, dummodo ante dispensationem eam non incurrisset; si enim ante dispensationem eam incurrit, debet illam subire. Pro obtinenda dispensatione prioris voti, aut poenae incurse, seu incurrendae explicandum est secundum, & omnia aperte exponenda, ut superior maturo iudicio, & perfecta cognitione causae procedat.

109. Inq. 3. An vovens vitare aliquid, puta ludum sub tali poena, toties teneatur ad poenam, quoties luserit? R. neg. nisi aliud constet de intentione voventis, quia salvatur sufficienter proprietatis verborum promissionis subeundo poe-

nam pro prima violatione: ergo non est extendenda ad alias: maxime si tales sint poenae, ut vix repeti valeant, ut in vovente peregrinationem longiorem, castitatem, aut religionem in poenam alicujus delicti. Verum aliae poenae leves toties incurruntur, quoties votum poenale violatur, ut poena recitandi aliquas preces, quoties luserit. Intentio ergo voventis, & forma verborum attendenda est.

PUNCTUM XVI.

De his, qui vota emittere valent.

110. Inq. 1. Qui vota facere possit? R. omnes pollentes usu rationis, & a Superioribus non impeditis posse vota emittere: quia tales possunt libere promittere Deo rem meliorem. Unde solum excluduntur jure naturae a voti emissionem amentes, furiosi, ebrii, & qui non habent usum rationis, ut pueri ante septennium. Post illum autem valent vota emittere. Vota religiosorum, filiorum, dum sunt sub patria potestate, uxorum, servorum absque consensu Praelati, patris, matris, aut domini de rebus, quae in illorum praedictum cedunt, nulla sunt: quia nemo potest promittere Deo, quod non est in sua potestate, nec de alienis sacrificium offerre. Si vero in eorum potestatis praedictum non cedant, valida sunt. Deus non potest proprie votum elicere, licet possit per semetipsum minus proprie, & largo modo jurare, & vovere. Nec Christus Dominus potuit proprie vota emittere, ut supra diximus cum Angelico Praeceptore. Angeli in via potuerunt vovere. Beatis non competit vota elicere; sunt enim summo bono inamissibiliter omnino conjuncti.

111. Probabilis est posse Ecclesiam aliquos inabiles declarare ad emittenda vota etiam particularia: quia nulla apparet repugnantia in eo, quod Ecclesia apponet aliquam circumstantiam, vel conditionem, sub qua, & non aliter teneatur votum, etiam internum; ad quod sufficit potestas spiritualis, non contentiosa, sed voluntaria, aut gratiosa, qua nomine Dei non velit acceptare, quod reputat non convenire. Circa vota solemn-

CAPUT II.

De cessatione voti.

PLura, quae in hoc capite dicenda sunt, aeque conveniunt votis, ac juramentis. Aliqua peculiariter ad iuramenta spectantia capite sequenti praelibabimus. In praesenti discutuntur causae, per quas cesset utriusque vinculi obligatio. Ideo, quod dictum fuerit de voto, sua proportione de juramento, praesertim votivo, intelligendum est.

PUNCTUM I.

De voti irratione.

114. Inq. 1. Per quot, & quas causas tollatur obligatio voti? R. tolli per sex causas, quae sunt irritatio, dispensatio, commutatio, cessatio finis, impotentia physica, aut moralis, & condonatio. Plures enumerantur ab aliis; sed omnes includuntur in istis, ut interpretatio in cessatione finis, & mutatio notabilis superveniens in ipsa finis cessatione, aut in impotentia.

115. Inq. 2. Quid sit irritatio? R. est annullatio voti ab habente potestatem dominativam. Est duplex, directa, & indirecta. Irritatio directa datur, quando potestas dominativa est supra personam, ut in Praelatis regularibus respectu subditorum. Indirecta datur, quando praedicta potestas est supra materiam promissam, ut in Papa respectu fidelium, licet haec potius suspensio, quam irritatio voti dici possit, ut in dominis respectu famulorum circa vota impeditiva famulatus. Potestas dominativa directa, & irritatio ab ea procedens non tantum jure ecclesiastico, aut civili provenit, sed ipso jure naturali, quo persona, & voluntas voventis subjecta est Superiori legitimo.

116. Inq. 3. An requiratur causa ad irritationem? R. ad validam irritationem nulla requiritur causa: quia votum inferioris semper emittitur sub conditione, quod Superior non contradicat. Unde solus dissensus Superioris sufficit ad valorem irritationis. Probabilis est neque ad licitam irritationem ex se requiri cau-

sam;

nia nullus est ambigendi locus, irritat enim Ecclesia professionem ante decimum sextum annum, sicut matrimonium clandestinum, quia cum sint actus publici, & solemnes, sunt sub potestate Ecclesiae quoad condiciones congruentes.

112. Inq. 2. An vota religiosorum sine consensu Praelati sint valida? R. Primo vota, quae non praedictant jurisdictioni Praelati, regulae, aut constitutionibus, esse valida, habereque vim obligandi, quando a Praelato non irritentur. Quia supponitur rem promissam esse gratam Deo, ut recitare aliquas preces, aut quid simile. Non autem sunt firma, quia semper fiunt sub conditione, si Superior non contradicat. Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 8. ad 3.

113. R. Secundo vota a religiosis emissa de rebus contra ordinationes Superioris, regulam, aut constitutiones, etiam ad poenam tantum obligantes, esse nulla, quia respectu religiosi sunt de re mala, esto dispensatio obtineretur; semper enim est melius leges communes observare, quam uti dispensatione, quae est vulnus legis. Caeterum si tales res non absolute prohibeantur a lege, vel Praelato, ut non fiant absque licentia, votum de his faciendis cum licentia est validum, quia concessio licentiae non est dispensatio in tali casu, sed impletio legis; ut si Praelatus prohibeat, ne quis absque licentia ultra regulam jejunet, qui obtenta licentia jejunat, optime facit, nec vulnerat mandatum, sed adimplet; tenetur autem sic vovens petere licentiam, ne efficiat votum illusorium, nisi solam promitteret rem exequi, quando generalis licentia ad illam a Praelato daretur. Debet etiam subditus, quando licentiam postulat; suum votum manifestare Praelato, ut provideat de persona, voto, & licentia, quod magis expediens sibi visum fuerit. Vota a religiosis emissa observandi regulam, leges, aut constitutiones obligant, quando a Praelato dantur, quando impenduntur, ipso tamen dispensante, desinunt obligare. Uno verbo religiosus quoad vota privata debet omnino se iudicio Praelati submittere, ejusque dictamini acquiescere. D. Thom. ubi supra.

sam; quia liberum est Superiori dissentire a voto inferioris, nec ullo jure cogitur ad hujus consensum.

117. Cæterum quia Superior debet prudenter se gerere, & profectum inferioris non impedire, ex his, aut aliis capitibus potest irritatio absque causa esse peccatum leve, nunquam vero grave, præcisus aliis circumstantiis, quæ graviter irritationem vitare possint: ut si irritaret votum ex ipsius licentia emissum, quo in casu irritans absque causa graviter peccaret. Valet Superior irritare vota inferioris, etiam ipso nolente, quia Superior non dependet a voluntate inferioris, sed e contra. Nec ad irritationem validam tenetur cognoscere causam in specie; ad licitam autem sufficit agnoscere subditum esse anxiatum gravamine voti, & velle illum ab eo liberare. Potest Prælati superior irritare subditis vota de licentia inferioris emissa; sed non e contra. Similiter Prælati succedens valet irritare vota emissa de licentia antecessoris.

118. Inq. 4. Quibus competat potestas vota irritandi? R. potestas directa competit parentibus respectu filiorum, Prælati respectu subditorum, maritis respectu uxorum, tutoribus, & minorum, & dominis respectu mancipiorum, quia istis omnibus competit potestas dominativa respectu suorum inferiorum. Unde nec summus Pontifex respectu fidelium, nec Episcopus respectu clericorum, nec aliorum sæcularium possunt vota irritare: quia esto habeant potestatem jurisdictionis, non dominativam. Verum Papa respectu religiosorum, & Episcopus respectu monialium sibi subjectarum utraque gaudet potestate, ideoque vota simplicia eorum possunt directe irritare. D. Thom. art. 8. ad 3.

119. Inq. 5. An Prælati regulares valeant irritare vota omnia suorum subditorum? R. affirm. quia inferioris voluntas per professionem voluntati sui Prælati quoad omnia subiecta est. Excipiuntur autem vota solemnia, aut simplicia constituentia statum, & ea, quæ sunt annexa tali statui, ut in Minimis votum abstinentiæ quadragesimalis, & votum transeundi ad arctiorem religionem, quæ

nec a Papa irritari valent, esto in eis dispensare possit. D. Thom. *ibid.*

120. Inq. 6. Qui sint Prælati habentes potestatem dominativam ad vota inferiorum irritanda? R. esse omnes sive superiores, sive immediatos, qui vere Prælati sunt: in eorum autem absentia eadem facultate potiuntur Prælati secundarii, sive Supiores, sive alio nomine nuncupentur, quando per viginti quatuor horas, aut diem naturalem præsentent, quia in hoc casu ad eos tanquam ad Prælatos cura, & administratio communitatis jure transfertur. Similiter Abbatissæ, seu Priorissæ vota suorum monialium irritare possunt, quia licet careant potestate spirituali, habent potestatem dominativam, sicut illam habent alie faminæ, dum tutrices, aut curatrices filiorum deputantur. Prælati nequeunt vota novitiorum irritare, quia in eos ante professionem potestatem dominativam non habent; possunt tamen eorum vota commutare, & etiam dispensare per jurisdictionem ecclesiasticam, quæ supra illos gaudet. Si autem novitii a religione exeant, cessat commutatio, quæ tantum pro tempore novitiatu facta præsumitur.

121. Inq. 7. Quæ filiorum vota parentes valeant irritare? Ante responsionem nota, quod impubes, seu pupilli dicuntur viri ante decimum quartum annum completum, fœminæ vero ante duodecimum, & in hac imbecilli etate, deficientibus parentibus, assignatur tutor primo pro personis impuberis, seu pupilli tuendis, secundo pro rebus. Ab anno quartodecimo completo in viris, & duodecimo in fœminis usque ad vigesimum quintum expletum dicuntur puberes, seu minores, quibus in defectu parentum deputatur curator ad curandum primario de eorum re familiari, & secundario de ipsorum personis. Patria potestas durat in filiis legitimis, quandiu per emancipationem, mortem civilem, Episcopatum, magnam Præfecturam, aut matrimonium cum velationibus non finiatur. Si pater, aut filius defunctus resurgeret, revivisceret patria potestas. Quibus prænotatis.

122. R. 1. parentes posse irritare omnia vota filiorum impuberum, quia isti in tam tenera ætate regi debent volun-

tate alterius. Vota autem personalia puberum, quæ non præjudicant gubernationi domesticæ, nequeunt irritari a parentibus, quia homo pubertatem nactus, jam præsumitur gaudere sufficienti discretionem. Sed vota realia puberum possunt irritare parentes, quia filii puberes careant administratione bonorum, & sub parentum cura permanent. Vota vero filiorum de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, & de adventitiis, quorum dominium, & administratio est apud ipsos filios, nequeunt a parentibus irritari: nec similiter votum Romam eundi pro absolutione ab excommunicatione. Denique nulla vota a filiis emissa postquam egressi sunt a patria potestate, irritari valent a parentibus, quia jam sub cura, aut custodia parentum non sunt. D. Thom. *ibidem.*

123. R. 2. tutores, & curatores posse irritare vota suorum pupillorum, & minorum, sicut parentes suorum filiorum, quia succedunt in defectu parentum ad curam, & regimen eorum. Propter eandem rationem avi, & avie deficiente patre, matre, tutore, & curatore possunt irritare vota nepotum; ita ut ascendentes ex linea paterna possint irritare vota, quæ pater poterat; & ascendentes ex materna, quæ poterat mater. Similiter potest curator irritare omnia vota ab impubere emissa, non confirmata post pubertatem; cæterum tutor, aut curator finito eorum officio nequeunt irritare vota emissa a pupillis, aut minoribus, quia postquam isti egressi sunt ab eorum cura, nullam in eos potestatem habent, neque exercere possunt: parentes vero possunt quocumque tempore irritare vota filiorum, nisi confirmata fuissent post pubertatem ab ipsis filiis, quia patria potestas non finitur tempore sicut officium tutoris, aut curatoris, sed per capita supra recensita.

124. Communior sententia tenet, quod mater, vivente patre, & ipso præsentem, vel eo mortuo, assignato tutore, non valet irritare vota impuberum. Tum quia solus pater gaudet patria potestate, tum quia solus est caput familiæ; tutor autem succedit loco patris: igitur mater, ipsis præsentibus, non habet talem potestatem. Habet tamen illam, ipsis lon-

ge absentibus, & cum assignatur tutrix, aut curatrix filiorum, in quo casu potest etiam vota realia puberum irritare, quia tunc ad matrem devolvitur administratio domus, & familiæ.

125. Magistri, aut heri, etiam in defectu parentum, nulla possunt irritare vota discipulorum, aut famulorum, quia nullo jure hoc ipsis conceditur. Domini solum possunt irritare mancipiorum vota, quæ eorum obsequio præjudicant. Unde nequeunt irritare votum castitatis, aut fundendi aliquas preces a servo, seu a mancipio emissum. Heri solum valent suspendere famulorum vota, quæ eorum famulatum impediunt.

PUNCTUM II.

De votis, quæ conjuges possunt sibi invicem irritare.

126. Inq. 1. Quæ vota uxoris valeant maritus irritare? R. 1. maritus potest irritare omnia vota uxoris tempore matrimonii emissa, quæ obsunt ipsi matrimonio, aut domus, & familiæ gubernationi: quia circa hæc mulier subdita est viro. Potest etiam suspendere vota ab ipsa ante matrimonium edita, quæ huic subjectioni repugnant, propter eandem rationem.

127. R. 2. Maritus non potest irritare vota ab uxore emissa ante contractum matrimonium, vel tempore legitimi divortii, neque ea, quæ implenda sint dissoluto matrimonio, nec vota observandi præcepta divina, aut ecclesiastica, aut fundendi aliquas preces, frequentandi moderate sacramenta, aut elargiendi elemosynas congruentes de bonis paraphernalibus: quia hæc, & similia non præjudicant mutuo conjugum officio. Idem est de voto emisso ab uxore non petendi debitum, quia in hoc jure pares sunt conjuges: quia ratione, nec uxor potest irritare tale votum in marito. Nihilominus abstinendum est conjugibus ab emissionem voti non petendi, nec redendi, uti asserit Angelic. Doct. 4. sent. d. 32. a. 4. ad 3. his verbis: *alii probabiliter dicunt, quod neutrum potest unus absque consensu alterius votere.*

128. Inq. 2. Quæ vota mariti potest

uxor irritare? R. posse irritare omnia, & sola vota, quæ juri matrimoniali repugnant: quia in jure matrimoniali conjuges sunt æquales: erg. sicut maritus potest irritare vota, quæ huic juri obstant, ita uxor mariti vota, quæ in illius præjudicium cedunt. Similiter potest irritare votum mutandi habitum laicalem in religiosum, aut eremiticum, quia est in uxoris præjudicium, potest enim illi ingerere horrorem. Potiori jure valet maritus irritare simile uxoris votum. Quare congruum est, ut nullus conjugum sine consensu alterius emittat votum mutandi habitum. Potest etiam uxor irritare mariti votum de longinqua peregrinatione, excepta Hierosolimitana, aut alia, ob publicam Ecclesiæ utilitatem. Denique potest suspendere vota mariti ante matrimonium emissa, si vitæ sociali officiant.

120. Verum vota, durante matrimonio, mutuo consensu emissa nequeunt conjuges sibi invicem irritare, unde si votum castitatis mutuo consensu emittant, privantur jure petendi, & reddendi debitum: nec ex eo, quod postea eodem mutuo consensu matrimonio sacrilege utantur, liberantur, nec liberare possunt se invicem a voto, quod Deo promiserunt; quia licet in vi contractus valeant sibi invicem condonare; in vi autem promissionis Deo factæ, nullam habent potestatem condonandi.

РѢШЕНІЯ III.

De dispensatione voti.

130. Inq. 1. Quid est dispensatio voti? R. est annullatio obligationis voti ab habente potestatem spirituales in foro externo. Dicitur in foro externo, quia est potestas fori exterioris, quæ residere tantum potest in persona ecclesiastica: unde solum committi valet clericis, saltem prima tonsura insignitis; foeminae autem incapaces sunt jurisdictionis spiritualis, sicut & ordinis. Omnes, qui possunt sive jure ordinario, sive ex delegatione dispensare vota, possunt etiam ea commutare, nam qui potest majus, potest minus in eodem ordine. Ex opposita ratione habens facultatem delegatam ad vo-

ta commutanda non potest ea dispensare, quia qui potest minus, non potest majus; commutare autem minus est, quam dispensare. Valeat dispensare vota aliorum, non potest dispensare vota propria; proindeque recurrere debet pro dispensatione ad Superiorem, excepto Papa, qui Superiorem non habet; potest tamen concedere potestatem alteri, ut sibi vota dispenset, sicut tribuit jurisdictionem, ut eum ea peccatis absolvat. Aliud est circa legem propriam.

131. Inq. 2. In quo proprie consistat dispensatio voti? R. consistere, vel in eo, quod Deus per hominem sui vicem gerentem declarat se condonare rem sibi promissam, vel in eo, quod auctoritate Superioris fit, ut hoc, quod continebatur sub voto, non contineatur, in quantum determinat in hoc casu non esse congruam hanc materiam voti. Et id eo cum Prælati Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto juris naturalis, vel divini, sed declarat talem materiam non cadere hic, & nunc sub obligatione voti. Ita D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 10.

132. Inq. 3. In quibus resideat potestas ordinaria dispensandi vota? R. in primis residet in summo Pontifice pro omnibus fidelibus; deinde in Concilio generali etiam pro tota Ecclesia; in Episcopis, & Archiepiscopis, & eorum Vicariis generalibus pro tota Diocesi; in Legatis, aut Nuntiis, Patriarchis, aut Prælatibus pro suo Regno, aut Provinciis in capitulo Cathedrali, sede vacante; in Abbatibus jurisdictionem quasi Episcopalem habentibus, & in omnibus Prælati regularibus pro suis subditis. Omnes isti jure ordinario dispensare valent in omnibus votis suorum subditorum, dummodo non sint Pontifici reservata. Valent etiam hanc facultatem delegare cuilibet clerico; verum clericus in minoribus constitutus, si est conjugatus, solum ex commissione Pontificis capax est hujus delegationis. D. Thom. ubi supra art. 12. ad 3.

133. Inq. 4. Quis possit in votis communitatis dispensare? R. respectu communitatis, quæ votum emisit, potest Episcopus in illo dispensare ex justa causa; successores vero, qui non tenentur ex vi

voti ab ipsis emissi, sed ex præcepto, aut lege Episcopi, pro ejusdem Episcopi arbitrio dispensari queunt. Hoc adstruit etiam Concina immemor opinionis a se in materia de legibus propugnate contra Salmanticenses, quod Legislator nequit valide in sua lege sine justa causa dispensare. Nunc autem asserit communitatem voventem posse ab Episcopo, justa occurrente causa, dispensari; successores vero, qui solum tenentur ex præcepto, aut lege Episcopi, pro arbitrio ejusdem Episcopi: erg. saltem valide potest Legislator in sua lege pro suo arbitrio dispensare: hæc consequentia alibi a Concina negata conceditur sponte ab ipso lib. 4. in Decal. Diss. 3. cap. 9. n. 4.

134. Inq. 5. An ad voti validam dispensationem requiratur causa? R. affirm. quia dispensatio inferioris in lege superiori abque causa est invalida; sed dispensatio voti est dispensatio in lege superiori nempe naturali, & divina: ergo ad ejus valorem requiritur legitima causa. Ita omnes cum D. Thom. ubi supra art. 12.

135. Inq. 6. An quando dubitatur de causa, valeat dispensatio? R. sub distinctione: vel enim dubitatur, an detur causa, vel dubitatur, an detur sufficiens causa: in primo casu non datur dispensatio: nam revera esset dispensare sine causa, ut si dubites, an Petrus sit infirmus, non vales illum dispensare a jejuniis. Si vero causa certa existat, solumque dubitatur, an sit sufficiens; tunc dispensatio valida, & licita potest impertiri; maxime cum aliqua commutatione, licet absolute absque illa dispensatio valida foret. Ita D. Th. loc. citat. ad 2.

136. Inq. 7. An dispensatio voti concessa bona fide putando adesse causam sufficientem, si revera nulla existat, valida sit? R. neg. quia licet postulans, & concedens excusentur a culpa propter bonam fidem, & hac durante, sit licita; tamen, cognito errore illicita, & invalida remanet, quia, ut dictum est, dispensatio inferioris in lege superiori sine causa est invalida. Si autem dispensans procederet absque cognitione causæ, quæ re ipsa adest, valida, esto illicita, es-

set dispensatio. Vid. tract. 3. n. 315.

137. Inq. 8. Quæ sint causa sufficientes ad voti dispensationem? R. communiter assignantur septem. 1. dubitatio de emissionem voti. 2. imperfecta deliberatio in eo emittendo, sive proveniat ab immatura ætate, sive ab ira, metu, perturbatione, moerore, aut alia subita passione. 3. error circa aliquas circumstantias, quæ postea agnoscuntur. 4. turbatio conscientie, & animi anxietas circa votum. 5. difficultas notabilis in ejus adimplerione. 6. damnum spirituale, aut temporale voventis. 7. majus bonum, quod ex dispensatione speratur. Omnia prudenti judicio pensanda sunt, aliqua enim vota graviolem causam exigunt juxta gravitatem materie promissæ, & plenam liberationem promissionis. Vota frequentiora reputantur inferiora, ut votum recitandi aliquas preces, alicujus jejunii, aut visitandi aliquam imaginem; ideo non postulant causam adeo gravem, sicut votum castitatis, religionis, triplicis peregrinationis, diuturni jejunii, magnæ elemosynæ, & similibus. Unde maturo consilio mensuranda est causa; non tamen requiritur, ut evidenter constet de ejus sufficientia, satis est, quod moraliter sufficiens agnoscat. Nihilominus securus est aliquam admiscere commutationem, præsertim quando de sufficientia causa dubitatur, licet absque commutatione absolute dispensari possit.

138. Inq. 9. Quæ vota possint Prælati regulares suis subditis dispensare? R. posse cum eis dispensare omnia vota, exceptis reservatis, sicut possunt Episcopi cum Diocesanis: quia præter potestatem dominativam habent etiam jurisdictionem spirituales quasi Episcopalem pro suis subditis. Unde possunt dispensare vota emissa ex ipsorum, vel aliorum Prælatorum, etiam superiorum licentia; quia semper habent in suos subditos potestatem ordinariam spirituales, quam nullus Superior ab eis admittit. Possunt pariter dispensare in voto transeundi ad arctiorem religionem, si judicent subditum melius perfectionem assecuturum in propria, quam ad aliam transeundo. Ceterum in votis substantialibus, nec istis annexis, nec in voto non procurandi, aut non acceptandi dignitates extra ordinem

minime dispensare valent. Possunt tamen dispensare vota novitiorum, quia in eos gaudent spiritali jurisdictione, sicut etiam Episcopi illam retinent in cuiuscumque ordinis novitio, quandiu professionem non emittant.

139. Inq. 10. An Confessarii regulares possint dispensare vota secularium? R. in hac materia nihil certi habetur; solum est certum Confessarios regulares absque privilegio legitimo non posse in aliquo voto cum secularibus dispensare. Privilegia autem Eugenii IV. Leonis X. Pauli XIII. Gregorii XIII. & Sixti IV. quæ ab authoribus laudantur, vel loquuntur de facultate commutandi, vel etiam dispensandi cum aliis regularibus; pro secularibus vero res dubia rest. Ideo in negotio tanti momenti regulares utantur facultate certa commutandi, & abstant ab incerta dispensandi, usque dum a Sede Apostolica clarius concedatur. Quam enim utilitatem, quodve emolumentum afferit regularibus facultas dispensandi cum secularibus? Nullum profecto. Non ergo æquum est ipsos scrupulis, ac st multis conscientiæ onerari, ut secularis voti obligatione exonerent.

140. Cum igitur dubia sit facultas dispensandi, abstant regulares a dispensatione votorum circa seculares. Nec enim Bulla cruciatæ talem facultatem, sed tantum commutandi ea concedit.

PUNCTUM IV.

De votis reservatis.

141. Inq. 1. Quot sint, & quæ vota Pontifici reservata? R. sunt quinque, nempe votum castitatis, votum religionis, triplicis peregrinationis, Hierosolimitanæ, Romanæ, & Compostellanæ. Idem est de iuramentis castitatis, religionis, & triplicis peregrinationis ex devotione visendi loca sacra. Si autem ex alio fine, licet pio, emittantur vota, aut iuramenta dictæ peregrinationis, non sunt reservata. *Objic.* D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 3. Solum enumerat inter reservata votum continentiæ, & peregrinationis terræ sanctæ. Et q. 189. art. 7. docet vota perpetua esse Pontifici reservata: sed votum perpetuo jejunandi, & alia

hujusmodi sunt perpetua: erg. sunt plura, aut pauciora. R. ad primam: quod D. Thom. exemplum ponit in duobus illis votis, quin excludat cætera; licet alii respondeant, forte probabiliter, tempore D. Thomæ non esse omnia quinque vota reservata. Ad secundum dicitur, quod sanctus doctor loquitur de votis, quæ vel ex se sunt perpetua, ut votum castitatis, vel ratione alicujus circumstantiæ, ut vota, quæ emittunt Episcopi, dum dignitatem Episcopalem suscipiunt, quo pacto etiam alia vota, & iuramenta sunt reservata. Nunc autem loquimur de reservatis ratione materiæ, quæ tantum sunt quinque recensita.

142. Inq. 2. Quid requiratur, ut hæc vota sint reservata? R. requiri, quod sint absoluta, perfecta, certa, & emissa ex affectu ad rem promissam. *Absoluta*, quia pendente conditione nullum votum est reservatum. *Perfecta*, hoc est, quod comprehendant totam materiam, & ex perfecta deliberatione procedant. Unde votum castitatis conjugalitatis, aut pro aliquo tempore, vel tantum sub levi obligans, vel votum non contrahendi matrimonium, aut abstinendi a vitio contra naturam, aut a primo actu venereo, & similia non sunt reservata, quia non comprehendunt totam materiam. Similiter reservata non sunt vota dubia, aut quoties dubium sit, an ex aliquo capite sint reservata; quia reservatio est odiosa, & stricte interpretanda; nec reservata sunt vota disjunctiva de materia reservata, & non reservata, antequam reservata eligatur. Denique in votis emissis cum aliqua circumstantia, hæc non est reservata, ut in votente pergere Romanis nudis pedibus, circumstantia nuditatis potest ab Episcopo dispensari, & sic de cæteris circumstantiis.

143. Inq. 3. An in prædictis votis reservatis possit Episcopus dispensare in casu urgentis necessitatis? R. affirm. ut propter grave damnum spirituale, aut temporale urgens in adstricto voto castitatis, qui teneretur ad matrimonium sine mora contrahendum pro vitanda infamia virginis a se defloratæ, seu ob alienus scandali periculum, posset Episcopus dispensare votum; non quidem absolute, sed quatenus necessarium sit ad

occurrendum damno, vel periculo urgenti. Ideoque si extra matrimonium ageret contra castitatem, violaret votum, quod etiam mortua conjuge reviviscit: quia sicut Ecclesia benigne præsumitur nolle reservare, urgente necessitate, ita prudenter præsumitur nolle annuere dispensationi, nisi quantum ad subveniendum necessitati requiratur. Igitur in casu necessitatis valet Episcopus, vel alius habens jurisdictionem quasi Episcopalem dispensare modo dicto in reservatis, etiamsi Legatus, aut Nuncius Pontificis esset in Provincia, quia isti non majori gaudent facultate; nisi specialem super prædicta vota haberent a Pontifice, in quo casu pro dispensatione adiri debent.

144. Inq. 4. An prædicta quinque vota, dum sunt conditionata, aut poenalia, sint reservata? R. 1. vota conditionata conditione generali, aut de præsentibus, vel de præterito, impleta conditione, esse reservata: ita omnes, quia talia vota, posita conditione, vere sunt absoluta, & solum apparenter conditionata. R. 2. vota conditionata spontanea, & absque ullo metu emissa esse pariter reservata: ut votens castitatem, aut religionem, si pater consenserit, si soror nupsit: quia ita votens emittit votum pleno consensu, & ex affectu ad rem promissam; conditio vero solum est quoddam impedimentum ad eam assequendam: ergo posita conditione, & sublato impedimento, non est unde votum non sit perfectum, absolutum, & reservatum.

145. R. 3. Vota conditionata poenalia, etiam impleta conditione, non esse reservata: ut *voveo religionem*, si tale peccatum commiserit. Ratio est, quia sic promittens non vovet directe, & per se religionem ex affectu ad religionem; imo aliquomodo adversatur religionem, ideo enim vovet illam ut poenam, ut ex timore hujus poenæ se retrahat a culpa; ergo non directe, sed quasi indirecte est votum religionis: erg. non est reservatum. Quoniam votum religionis reservatum solum esse votum directum, & ex affectu ad religionem emissum. Ita plures graviores Thomistæ, ut Medina, Ludovicus Lopez, Aragon, Raphael a Torre, quos cum aliis laudat, & sequitur magister Prado vocans hanc sententiam

Tom. I.

probabiliorum, & communiorum cap. 31. de voto n. 93.

146. R. 4. Vota vere conditionata, in quibus non datur consensus plene voluntarius ad rem promissam, etiam apposita conditione, non esse reservata: ut votum religionis emissum pro vitando naufragio, incendio, infirmitate, aut alio gravi periculo. Prob. ratione: quia juxta omnes votum reservatum debet esse perfectum circa materiam promissam; sed præfata vota non sunt perfecta circa materiam promissam, etiam impleta conditione: ergo non sunt reservata. Consequentia est legitima, major ab omnibus admittitur, & minor debet etiam admitti, ne inconsequenter procedat; quia in prædictis votis plus tendit votens ad vitandum periculum, quam ad religionem amplectendam, plus amat propriam salutem, quam religionem; quinimo nec vellet, nec voveret illam, nisi oppressus imminenti periculo: erg. talia vota non sunt perfecta circa materiam promissam, repugnat enim votum perfectum absque voluntate perfecta circa materiam.

147. Confirmatur 1. Ideo votum metu levi extortum non est reservatum apud omnes, quia non est perfectum, hoc est, non habet plenum consensum ad rem promissam: erg. multo minus est reservatum votum metu gravi emissum. Patet consequentia, quia votum metu gravi emissum magis involuntarium est, quam metu levi editum, hic enim solum est metus puerorum merito despicendus, cujus oppositum accidit in metu gravi: erg. iste minuit voluntarium, plusquam ille. Qua paritate dispellitur omne fundamentum adversæ opinionis.

148. Confirmatur 2. Quia votorum reservatio stricte interpretari debet, est enim odiosa, & juri communi, potestatiq; ordinariæ Episcoporum contraria, ut omnes fatentur: erg. solum vota undequaque perfecta sunt reservata; sed vota metu gravi emissa non sunt undequaque perfecta: erg. non sunt reservata. Ita idem Prado, cum Victoria, Ledesma, Orellana, & aliis tam intra, quam extra scholam D. Thom. unde sequitur posse Episcopos dispensare in præfatis quinque votis, dum non sunt perfecta,

Eccc

vel

vel dubitatur de eorum reservatione: quia jure communi competit Episcopis potestas ordinaria vota dispensandi, a qua in casu dubii, vel sine claro textu, vel ratione spoliari non debent.

149. Pater Concina tom. 3. pag. 198. num. 24. oppositum acriter tenet, & confirmat suam sententiam ex eo, quod contractus conditionati, posita conditione, perfecti evadunt; sed cum contractum doceat in tractatu de contract. tom. 7. pag. 149. n. 9. non probat intentum; nec lubet in eo refutando terere tempus in vanum.

150. Inq. 5. An accepta commutatione voti reservati, materia commutata maneat reservata? R. neg. quia per commutationem legitimam votum de materia reservata transfertur in aliam materiam non reservatam, ut votum religionis in jejunia, & alias asperitates, quae reservata non sunt.

151. Inq. 6. An facultas alicui concessa ad dispensandum, seu commutandum vota, extendatur ad reservata? R. neg. nisi ad haec specialis detur commissio. Constat ex extravag. *Etsi dominici gregis 2. de penit. & remis.* ubi dispensans, aut commutantes quinque praefata vota praetextu privilegiorum subjiuntur excommunicationi Pontifici reservatae. Accepta autem facultate speciali dispensandi reservata, ad omnia quinque se extendit, quia non est major ratio circa unum, quam circa aliud. Si concedatur facultas dispensandi omnia, hoc vel illo excepto, ut in jubileis accidit, de ceteris omnibus intelligitur, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Facultas vero concessa ad votum religionis non extenditur ad votum castitatis, nec e contra, quia licet aequalia videantur, diversa sunt: Confessarii regulares commutare possunt praedicta quinque vota, quoties ex aliquo capite, causa, aut circumstantia non sint reservata.

PUNCTUM V.

De commutatione voti.

152. Inq. 1. Quid est commutatio? R. est substitutio unius materiae pro alia

servata aequalitate morali. Unde irritatio, dispensatio, & commutatio differunt in eo, quod irritatio tollit vinculum voti absque peculiari causa, dispensatio cum speciali causa, commutatio vero non illud tollit, sed sub eodem voto unam materiam pro alia subrogat. Unde eodem modo peccat agens contra materiam subrogatam, ac si votum ante commutationem violaret. Omnes, qui jure ordinario, aut per delegationem possunt dispensare, possunt etiam commutare, sed non e contra: Ideo per Bullam cruciatam nullum votum valet dispensari; licet omnia praeter excepta in ea commutari possint.

153. Inq. 2. An quisque sua vota auctoritate propria commutare valeat? R. 1. quilibet potest propria auctoritate sua vota commutare in evidenter melius, quando hoc melius includit materiam promissam, ut si promissisti centum, & tribuas ducenta, si promissisti calicem argenteum, & dones aureum, quia hoc potius est solvere superabundanter, quam commutare. Hac ratione potest idoneus ad religionem omnia sua vota, etiam reservata, commutare in votum religionis, in quo caetera comprehenduntur, sicut particularia in universali, ut docet D. Th. 2. 2. q. 88. art. 12. ad 1.

154. R. 2. nemo potest propria auctoritate commutare vota in evidenter aequale: quia commutatio est actus jurisdictionis, quam nemo potest secum exercere, sed requirit auctoritatem Praelati, seu vicem Dei gerentis. Ex quo a fortiori sequitur, quod nullus potest propria auctoritate commutare votum in rem minus bonam, quia in commutatione debet servari aequalitas moraliter possibilis, ut statim dicemus. Unde graviter peccaret, qui aliter se gereret, neque enim impletur votum, exequens materiam invalide commutatam.

155. R. 3. nullus potest propria auctoritate commutare vota adhuc in evidenter melius, si hoc non includatur in materia promissa; ut si promissisti jejunium, non vales propria auctoritate commutare in eleemosynas. Tum quia semper est melius, & Deo gratius ei reddere, quod promissisti, quam quodlibet aliud ex tua voluntate, ut patet *Levit.*

17. 9. Ubi Deus exigit animal a vovente assignatum, & non aliud esto melius. Tum quia commutatio est quidam contractus, qui perici debet ex consensu creditoris, aut vicem ejus gerentis; nec prius votum dissolvi valet absque ejusdem consensu. Et revera impertinens videtur talis commutatio, quia vel illam intendis pro majori placito Dei, vel pro tua utilitate: si primum, reddendo, quod promissisti, places evidenter Deo. Si secundum, debes omnino abstinere a commutatione, quia pro tua utilitate non potes unum pro alio reddere absque consensu creditoris, vel illius, qui vicem ejus gerat. Haec sententia magis consonat rationi, & menti D. Thom. *loc. supra cit. & alibi.*

156. R. 4. commutatio pura solum potest fieri ab habente potestatem spirituales, servata aequalitate morali, ut dicitur in ejus definitione, ita ut votum personale commutetur regulariter in personale, reale in reale, perpetuum in perpetuum, temporale in temporale, (licet hoc non semper sit necessarium) observando proportionem, non quidem arithmeticam, sed morale, & aequivalentem juxta circumstantias personae, promissionis, materiae, & finis voventis.

157. Pro majori vero luce quaedam apponuntur exempla: votum jejunandi ad macerandam carnem debet commutari in cilicium, disciplinam, aut aliam asperitatem voventi non incongruam: jejunandi per vitam omnibus feriis sextis, aut sabbatis in honorem alicujus sancti commutari debet in recitatione rosarii flexis genibus cum auditione sacri, aut aliqua eleemosyna: votum peregrinationis, praesertim in mulieribus, in confessionem, & communionem in viciniori Ecclesia cum eleemosyna proportionata: votum inserviendi hospitali in eleemosynam eidem hospitali tribuendam, vel e contra: votum jejunandi in pane, & aqua in rosarium integrum flexis genibus cum aliquo cilicio, aut disciplina, si vires suppetant: votum non nubendi in confessionem, & communionem menstruam cum aliqua eleemosyna, oratione, aut precibus, vel in jejunium mensuale simul cum auditione sacri, & visitatione Ecclesiae, vel curando celebrationem

novem, aut decem Missarum, simulque earum auditione quolibet anno, & sic in aliis.

158. Inq. 3. An requiratur causa ad commutationem voti? R. affirm. quia commutatio est actus jurisdictionis, quae exerceri non debet pro libito, sed in honorem Dei, & utilitatem voventis: ergo ad eam requiritur aliqua causa. Minor autem sufficit ad commutationem, quam ad dispensationem, unde ad commutationem virtute Bullae, aut jubilei sufficit pro causa motivum, ob quod ipsa indulta conceduntur: pro commutatione in evidenter melius, hoc ipsum sufficit pro causa; & similiter ad commutationem in evidenter aequale, & probabiliter melius: pro commutatione in aequale moraliter sufficit causa levis, ut aliqua difficultas in voti executione, quia non tollitur obligatio, sed alia subrogatur. Commutatio in evidenter minus est graviter illicita, & invalida, quia ad talem commutationem non datur potestas in commutante, nisi possit simul dispensare in voto: diximus enim habentem facultatem dispensandi posse admittere aliquam commutationem, imo ita congruentius semper fieri oportere. Quando dubitatur, an commutatio fiat in minus, valida, & licita est cum causa; quia moraliter, non mathematice procedere tenemur.

159. Inq. 4. Quomodo commutanda sint vota per Bullam, aut jubileum? R. Primo ante omnia Bullae, aut jubilei verba accurate inspicere debent, ut juxta illorum tenorem, & non aliter commutatio fiat. Deinde inter Bullam cruciatam, & jubileum scias triplex adesse discrimen. *Primo* enim per jubileum, ut communiter fertur, commutari valent omnia vota etiam triplicis peregrinationis, excepto castitatis, & religionis; per Bullam vero nequit commutari peregrinatio ad Hierosolimam. *Secundo* per jubileum commutatio fieri potest in alia pia opera pro arbitrio prudentis Confessarii, per Bullam autem probabilis debet fieri in subsidium temporale cruciatum. *Tertio* apponenti diligentias pro lucrando jubileo possunt, eo transacto, commutari vota; quod nequit fieri virtute cruciatum, transacto anno ejus publicationis. Vota excepta in jubileo, aut Bulla, nequeunt eorum virtute.

tute commutari, etiam in casu necessitatis; nec similiter vota emissa in favorem tertii, & ab isto acceptata, quia supra talia vota nullam concedunt facultatem, nec aliquis illam habet præter summum Pontificem ex gravissima causa.

160. R. Secundo: in commutatione voti peregrinationis perpendi debent tum labores itineris, tum expensæ accessus, & redditus, tum pericula, incommoda, detentio, & damna rei familiaris, si forte sequantur, tum etiam expensæ, quas domi facturus erat, & iis deductis, si per Bullam fiat commutatio, debet reliquum, quod in itinere expensurus esset, in subsidium Cruciatæ tribuere, insuper aliquid amplius pro periculis, mora, & labore itineris, Missas autem, si quas promissit, valet aut illuc, si commode potest, vel hic curare, ut celebrentur. Si commutatio fiat virtute jubilæi, aut alterius legitimæ facultatis, omnia possunt commutari in pia opera spiritualia, vel corporalia secundum prudentiæ iudicium commutantis, servata æqualitate morali, ut dictum est.

161. Inq. 5. An commutatio voti debeat fieri intra confessionem? R. sub distinctione: nam Episcopi, & qui gaudent jurisdictione ordinaria, valent eam facere intra, vel extra confessionem: delegati autem juxta præscriptum in delegatione. Cum igitur in hac semper, vel fere semper exigatur confessio, ut patet in privilegiis regularium, in Bulla cruciatæ, & in jubilæis, facienda est intra confessionem: Benef. XIV. in Bulla inter præteritos præscripsit commutationes, & absolutiones a censuris, & aliis poenis canonicis ratione jubilæi debere conferri intra confessionem. Fateor videri, quod aptius, ac forsitan maturius posset fieri extra, sed cum aliud jubetur, obedire debemus. Confessarius gaudens facultate, & rogatus pro commutatione peccat, si absque causa renuat.

162. Inq. 6. An facta legitima commutatione possit vovens redire ad priorem materiam? R. negative: quia legitima facta commutatione, & acceptata, jam est aliud votum, vel prius sub alia obligatione, quam propria autoritate nequit vovens mutare. Ex quo deducantur

communiter authores, quod si materia subrogata fiat impossibilis, non tenetur vovens ad priorem. Unde sive commutatio legitima sit facta in melius, sive in æquale, non potest vovens ad priorem redire. Si autem facta sit in minus per dispensationem, dicunt posse redire: sed revera deberent dicere posse quidem iterum vovere; verum redire ad priorem, non bene intelligitur, quia votum per commutationem mixtum cum dispensatione, extinctum vere est quantum ad priorem materiam: ergo non est in potestate vovens facere absque novo voto, ut illa reviviscat. Si autem facta, & admissa commutatione, iterum voveat priorem materiam, verius est teneri ad utramque, nempe ad priorem, & ad commutatam.

ПУКСТУМ VI.

De cessatione voti per finis cessationem, impotentiam, & condonationem.

163. Inq. 1. An cessante causa, seu fine cesset obligatio voti? R. cessante causa finali motiva proxima cessat votum: quia illa cessante, cessat voti materia; hæc enim solum promittitur in quantum conducit ad assequendum finem intentum: ut si promittas non intrare talem domum ad vitandum periculum ob mulierem ibi habitantem, hac mortua, vel alio eunte, cessat votum, quandiu illa abest; si autem domum eandem reverteretur, revivisceret votum; quia causa ejus regreditur. Verum per cessationem causæ impulsivæ minime cessat votum, ut si promittas elemosynam pauperi bene morato, teneris ad illam, licet postea talis non foret, nisi ex elemosyna numeret occasionem ad vitia.

164. Inq. 2. An per mutationem rerum supervenientem cesset obligatio voti? R. superveniente rerum mutatione notabili, & manifesta, potest cessare votum: quia, supposita tali mutatione, jam materia voti est diversa: erg. ad illam vovens non tenetur. Ut si promittas inservire per aliquot annos huic hospitali, si ibi superveniat pestis, non teneris, nisi ad hoc etiam expressè te obligasses, aut docus huic infirmitati plerumque obnoxius

xius sit. Cæterum, esto superveniat aliqua mutatio, quam si prævidisses, non voveres, tenet votum; alias cum res humana continue mutationi subjiciantur, vix contractus, promissiones, aut alia pacta firma essent, ideo licet aliquis professione emissa jus ad Regnum acquireret, teneret professio. Solum igitur illa mutatio superveniens irritat votum, quæ juxta prudentium iudicium materiam voti diversam constituit.

165. Inq. 3. An per impotentiam vovens cesset votum? R. affirm. sive impotentia physica, sive moralis superveniat. Ut si promittas tali die audire sacrum, & infirmaris, aut in carcere detineris, in quo casu cessat obligatio voti ob impotentiam physicam: vel si non vales audire sacrum absque gravi periculo vitæ, honoris, aut famæ, liberaris a voto ob impotentiam moralem.

166. Inq. 4. An votum, vel juramentum emissum in utilitatem alterius cesset per ejus condonationem? R. si fiat principaliter in ejus utilitatem, cessat votum, aut juramentum, ut si alicui promittas, vel jures te ei personaliter servitutum, aut daturum pecuniam, per ejus condonationem cessat, & absolvitur votum, aut juramentum. Si autem principaliter in honorem Dei alteri promittas, aut jures aliquid facturum, non cessat votum, aut juramentum per ejus condonationem, ut si jures fratri te ingressurum religionem principaliter in Dei obsequium, & etiam, ut ille in majoratu succedat, quia in hoc casu, & similibus promissum non pertinet principaliter ad eum, sed ad honorem Dei, qui illud acceptavit. Ita D. Tb. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 2.

TRACTATUS DUODECIMUS

DE SECUNDO DECALOGI PRÆCEPTO.

Postquam egimus de voto, statim agendum venit de juramento, quod est alius actus religionis, quo assumitur nomen Dei ad confirmandam veritatem, & pertinet ad secundum Decalogi præceptum. Noticia ejus valde necessaria est omnibus, præcipue Confessariis propter nimiam frequentiam jurandi: utinam non esset etiam perjurandi! Agit D. Thom. de juramento decem articulis immediate post votum 2. 2. q. 89.

CAPUT I.

De juramento.

ПУКСТУМ I.

Nomen, natura, & divisio juramenti.

1. Inq. 1. Unde dicatur juramentum? R. a jure: quia jure introductum est, ut quod invocatione Dei asseritur, pro vero habeatur. Dicitur etiam *jusjurandum* pluries in sacra pagina, & aliquoties *sacramentum* in jure canonico appe-

llatur, quatenus est quædam contestatio facta per aliquid sacrum, nempe divinum testimonium, ex quo *sacramentum* largo modo dicitur. Quomodoque vero nuncupetur, unum, & idem est juramentum, cujus naturam, divisionem, comites, & alias condiciones per sequentia puncta discutimus.

2. Inq. 2. Quid sit juramentum? R. est *invocatio divini nominis ad fidem faciendam*: ponitur loco generis *invocatio*, in qua convenit juramentum cum oratione, a qua differt per sequentes particulas *ad fidem faciendam*. Invocatio hæc fieri potest, vel solum mente interius jurando, vel ore exterius profterendo, vel nutu interroganti annuendo, vel facto tangendo Evangelia, aut alium librum, putans Evangelia continere. Dupliciter potest invocari divinum testimonium, vel expresse diceudo: *juror per Deum*, vel implicite, seu tacite, quando juratur per creaturas nobiliores, ut per beatam Virginem, per Angelos, aut sanctos, per coelum, terram, aut animam rationalem, quatenus Deus in eis